

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Thomæ Goodwini Moses & Aaron Seu Civiles & Ecclesiastici Ritus Antiquorum Hebræorum

Godwin, Thomas

Bremæ, MDCCX

VD18 12442798

Cap. IV. De Lucis & Celsis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18703

CAP. IV.

De Lucis & Celsis.

I. **A**ntiqui Pagani non tantum nulla templa
 (1) iuscitarunt, sed & nefas putarunt. *Hospin. de Temp. pag. 1.* Ratio creditur esse,
 quod nullum templum spatiosum satis & amplum
 Soli,

(1) Constat tempore Abrahami & longe post etiam,
 multas gentes papiliones metatas in locis, quæ pecora
 ad opimum pastum invitabant; præprimis autem in fron-
 dosis nemoribus; sic ut possent dicere:

*Nulli certa domus, lucis habitamus opacis,
 Riparumque toros & prata recentia rivis
 Incolimus. Virg. Æn. 6. vers. 673.*

Propterea igitur figere templa non poterant, nisi iis relictis
 nova statim in quæsitis recentibus locis moliri vellent. Ibi
 autem, ubi aliquantulum manserunt, aras fecere. Uti
 ex ipsius Abrahami exemplo patet. Ubi enim Patriarchæ
 suis pecoribus invenere felix solum, ibidem tuguriola sua
 erexerunt cum altari. Abrahamus dicitur struxisse altare
 & domicilium in קנען Gen. XIII. 6. XVIII. 1. quam vo-
 cem Angli aliique *planitiem*, alii verò *quercetum*, ut Belg.
Lycfen-bosch. Luth. *Sain* / interpretantur. Sic quia
 vagabundi in pratis & silvis oberrabant, usus templo-
 rum intermissus est; etsi etiam ea ratio accedat, quam
 Autor adducit. Hinc Tacitus de Germ. s. 4. loquitur:
*Ceterum nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam huma-
 ni oris speciem assimilare, ex magnitudine cœlestium arbi-
 trantur. Vid. plur. Heid. de orig. err. l. 6. cap. 4. & Ursin.
 Arb. Bibl. cap. 47.*

Soli, summo (2) suo Deo, existimarent: inde prognatum illud dictum: *Mundus universus est templum Solis*. *Alex. ab Alex. l. 2. c. 22.* Dilutum insuper ipsis videbatur, infinitam, quam concipiebant, Divinitatem parietibus coercere. Proptereaque, cum successu temporis usus templorum increbresceret, tamen suum Deum *Terminum* aliosque *Colossos* coluere in templis superne detectis, quæ ob id vocarunt *ἱερωδία* *subdialia*.

II. Hanc ego conjiciam esse (3) rationem, cur colles

(2) Omnes gentes suos Deos habuere, sed fermè per omnia ista Deorum nomina *Solem* indigitarunt; quod facillimè demonstrari posset; veruntamen necesse non est, siquidem in eam sententiam ferè omnes ultrò eunt, sic ut id, quod *Jul. Cesar. lib. 6. de B. G.* Germanis majoribus nostris dat, omnibus Antiquis idololatriis applicare possim: *Deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt, & quorum opibus aperte juvantur, Solem, Vulcanum, & Lunam.* Nam eos in Deorum numerum adsciverunt, à quibus multis bonis cumulati sunt: at à Sole omnium rerum & vitam & proventum pendere sciebant.

(3) Hæc ratio, scil. montes cultui Divino consecratos fuisse, quia putarunt, Divinitatem parietibus cohiberi non posse, eousque valet; quousque nulla templa & delubra structa sunt in montium jugis; quando ergo jecerunt sacella in cacuminibus, alia ratio selectorum montium præ convallibus ruspanda erit. Vetusti igitur idololatræ & gentes in verticibus sacra sua fecere, aut quia plerumque juga amœnioris sunt prospectus, quàm demissæ valles, sicque severam religionem jucunditate aliquâ lenire voluerunt; aut quia putarunt, se in cacuminibus montium Dîs, suasque preces eorum auriculis propiores esse:

aut

colles & montes, ut suæ idololatriæ faventes, elegerint. Hi montes sacri sunt *Celsa ista*, quæ S. Scriptura toties vetat.

III. Postmodum, parturientibus & nascentibus Diis, ipsorum sacri montes multiplicati sunt, sic ut ab iis Dî Deæque sua nomina mutuarentur; velut *Mercurius Cyllenius*, *Venus Erycina*, *Jupiter Capitolinus*. Denique ut suis sacris montibus dignam aliquam (4) speciem inducerent, eos arboribus inumbrârunt: unde manavit mos initiandi

Montes

aut Satanas Dei simia iis instillavit, Deum gaudere fastigiis, quia à majoribus suis acceperant, pios Patriarchas antediluvianos egisse in montibus, ibique Deum coluisse, Cainitis ad istorum montium pedes sedes suas habentibus; quod fide Rabbînorum stat. Non quidem in se damnabilis est cultus Dei in montibus, sed tum fit damnabilis, quando putatur Deus magis capi hoc quàm illo loco. At, inquires, cur ergo Judæis toties *Celsa* exprobrat Deus? Resp. Quia Deus volebat sibi fieri cultum eo loco & modo, quo ipse non jussisset. *Exod. XX. 24.* Nempe, Judæi videntes tabernaculum Dei stare in celso Gibeonis 2. *Chron. I. 3.* cum stultis gentibus eo ἐρηλορησκέιας lapsi sunt, ut arbitantes, Deum fortè affici editis collibus, ibidem pro lubitu aras & delubra struxerint. Ita conjicio. Nisi potius sanctissimum Numen hoc interdicto significare voluerit omne *excelsum*, in quo naturalis homo fiduciam ponit, & cultu, qui Deo debetur, honorat, sibi abominationi esse. Non ergò caret mysterio, quòd *Roma* sacrâ linguâ רומה & רמה *Celsa* ob tot editos colles vocetur, Urbsque & Orbis sit.

(4) Alii putant eos sic opacos fecisse *Lucos* arboribus, ut illa scelera, in quæ ibidem se solverent, frondibus arboribus

Montes & Lucos, qui diu Diis nomina dedêre. Tandem cœperunt quædam speciosæ & viscosæ arbores sacrari. *Virg. Eclog. 7.*

*Populus Alcide gratissima, vitis Jaccho;
Formosæ myrtus Veneri, sua laurea Phœbo.*

Gallorum Magi, *Druide*, nihil sacratius habuerunt (5) quercubus, ut inde appellati quoque sint inter-

borum obumbrarentur. Hinc dicuntur Israëlitæ scortati esse sub quavis frondosa arbore, h. e. tam corporaliter quàm spiritualiter. Forſan etiam sacros suos montes arboribus conſeuerunt, ut sic *Lucis* minimè lucidis, ſed denſitate arborum nemoroſis & nigris ſacrum horrorem animis incuterent.

(5) Ilex arbor apud omnes fermè idololatræ in ſacro honore fuit. Notatu dignum eſt illud *Phædri fab. LVl.*

——— *Quercus Jovi, ut Ela Baali,
Et myrtus Veneri placuit, Phœbo laurea,
Pyrus Cybelæ, populus celsa Herculi.*

Veteres Celtæ, qui Germani quoque fuêre, (licet contrarium inculcet *Bodinus de methodo Hiſt.*) quercus venerati ſunt. *Petrus Albinus l. I. c. 6.* prodit, Mersbergum urbem ad Caroli Magni uſque dies, Martem atque Mulciberum coluiſſe in querceto; & nulla ſacra Germanos ſine hujus arboris fronde confeciſſe, Deoſque ſacrificiis & epulis ritè ſub hac arbore perpetratis invocâſſe. Nihil jam referam, quoties Poëtæ tanquam raucæ cornices & graculi de frondosis, altis, ſacris &c. ilicibus ſtrideant. Has arbores præprimis coluerunt *Druide* Celtarum, Britonumque Sacerdotes, quos depingit *Jul. Caſ. de B. G. l. 6.* Illorum nomen potiùs deſcendit à Græco *δῆϋς*, quàm à *Dru-tin* vel *Deru* ſeu *Dervu* Cambro Britannico; nam teſtatur *Jul. Caſ. l. cit. Druidas Græcis literis uſos.* Tum temporis Græcæ

interpretatione Græcâ, siquidem $\delta\epsilon\upsilon\varsigma$ est *quercus*.
Plin. nat. hist. lib. 16. c. 44. Hetrusci venerati sunt
 palmam. Inter Celtas quercus procera Jovis ido-
 lum retulit. *Maxim. Tyrius dissert. 38. fol. 225. edit.*
Steph.

IV. Apud Israëlitas pullulavit hæc idololatria
 sub Judicibus *Othniele & Ehud*, *Jud. III. 7.* quæ tan-
 dem adeo proserpsit invaluitque, ut Israëlitis ef-
 sent Sacerdotes peculiare, dicti *Propheta Luci*,
1. Reg. XVIII. 19. imò & *Idola Luci*, h. e. peculia-
 res Dii, queis suos *lucos* dedicârant. *2. Reg. XXI.*
7. 2. Chron. XV. 16. Quemadmodum Christiani
 erectis inîtiatisque templis, alicujus *Sancti*, ut *S.*
Petri, S. Pauli, S. Andreae, &c. nomen imponunt:
 ita illi suos *lucos* certis Idolis consecrârant; de
 quibus testantur profani Scriptores; unde *Diana*
Nemorensis, Diana Arduenna, Albunea Dea, à nemo-
ribus lucisque sua nomina ferunt, in quibus cul-
 tæ sunt.

V. Idolum quoque subinde sumit nomen *Luci*:
Josias exportavit Lucum (6) è domo Jehovæ. 2. Reg.
N XXIII.

Græcæ linguæ usus etiam Germanis nostris innotuit. Vid.
 eundem de B. G. l. 1. ubi prodit, *inter Helvetios tabulas*
repertas literis Græcis confectas. Præsertim consule *Disput.*
de lingua vet. Germ. Cl. Hachenbergii Eloq. & Hist. P. P. Hei-
delb. ut & alias ejusdem *Disput. de re vet. Germ.* cedro di-
 gnas; in quo viro oris sermonisque gratia cum profunda in-
 eruenda Antiquitate eruditione suave certamen ineunt.

(6) Quoddam ille locus juxta sententiam Autoris $\mu\epsilon\tau\alpha\nu\upsilon\mu\epsilon\tau\alpha\varsigma$
 intelligendus sit, patet ex *2. Reg. XXI. 7.* Nam qui
 Idolum

XXIII. 6. Verisimile est, *Lucum* in hoc Idolo fuisse adumbratum & delineatum, sicut argenteæ icones Templi Dianæ, quas fecerat Demetrius, vocantur templa argentea: Demetrius fecit *vases templa argentea.* Act. XIX. 24.

CAP. V.

De Asylis.

I. **H**Æc Asyla à Deo ordinata, differunt ab Asylis Herculis & Romuli (1) aliarumque gentium; quoniam Deus illi soli indulgit portum,

Idolum colebant in *lucis*, etiam *lucum* tanquam sacram Idoli sedem venerabantur. Huc facit quod Tacitus de Germ. §. 4. prodit: *lucos ac nemora consecrant, Deorumque nominibus appellant secretum illud, quod solâ reverentiâ vident.* Idem Autor Hist. l. 2. ait: *est Judæam inter Syriamque Carmelus; ita vocant montem, Deumque.* Sic hæ gentes sedem Deum, & nomine Deum, & cultu maclarunt. Superius vidimus, cur Deus toties exprobrârit *Celsa* Judæis; hic indagandum, cur *Lucos* vetuerit. Interdixit ergo Deus *Lucis* Deut. XVI. 21. 22. Primò, ne viderentur Judæi cum gentibus Faunos cornipedes Dryadasque puellas venerari, sicque videretur velle coli Idolorum instar. Secundò, ut *Philo* ait l. 2. de *Monarchia*, *quia verum Templum non amœnitates, sed severam castimoniam postulat.* Tertio interdictum hoc præsertim spectat sensum anagogicum seu mysticum; scil. DEUS suspici vult in libertate sine metu potestatis humanæ, quæ comparatur sublimitibus arboribus. *Esa.* II. 8. 9. 12. 13. 14. & cap. 56. 9. *Zach.* XI. 1-3. Illæ proceræ arbores & Proceres subinde non liberum cœli adspectum indulgent, sed frondibus densis radios Solis justitiæ cohibent, fecundamque & salutiferam pluviam sicco sub se solo invident. Peccant Pontificii contra hujus mandati & literalem & anagogicum sensum.

(1) Antiquissimæ gentes sua habuere Asyla, ἄσυλα, h. e. loca,